



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

5. An sit peccatum mortale ludere magnam quantitatem? Et an, qui
lucratur magnam quantitatem, teneantur ad aliquam restitutionem,
dummodo non concurrant aliae Circumstantiae reddentes ludum iniustum?

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. V.

An sit peccatum mortale ludere magnam quantitatem? Et an qui lucratur magnam quantitatem, teneatur ad aliquam restitutionem, dummodo non concurrant alia circumstantia reddentes ludum iniustum? Ex p. 7. tr. 9. Refol. 3.

§. 1. **R**espondeo quod quantumvis magnam quantitatem quis perdat in ludo dummodo nulli prauidetur non peccat mortaliter stando in iure naturali, quia prodigalitas non est peccatum mortale. Nota tamen quod tunc erit peccatum mortale ludere multum, & magnam quantitatem, quando hoc fit cum detrimento notabili filiorum, & vxoris, subtrahendo eis alimenta debita, vel ob hoc fit impotens ad soluendum debita. Similiter erit mortale, quando quis est causa propter ludum, vt exponatur filia, vel vxor, periculo amittendi pudorem, vel in vsu habet admiscere fraudes in ludo, vel peierare, vel blasphemare, dum malè cedit alea, vel odio prosequi, & iniuriis afficere lucrantem: vnde huiusmodi non sunt absoluendi, donec desistant.

2. Ex his inferitur quod non tenetur quis restituere perdati, eo quod lucratur ab illo magnam quantitatem, nisi alia circumstantia concurrat reddens ludum iniustum. Ratio, quia cum ludentes sint veri domini illius quantitatis, possunt illam ludo exponere, & transferre dominium. Et hæc omnia ex multis Doctoribus docet Sanchez in *Opus. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 24. n. 7. & segg.* quibus ego addo Trullench in *Decal. tom. 2. lib. 7. c. 27. dub. 1. n. 2.*

RESOL. VI.

An qui ludis cum intentione lucrandi magnam quantitatem, peccet mortaliter? Et an ludere principaliter propter lucrum sit saltem peccatum veniale? Ex p. 7. tr. 9. Ref. 1.

§. 1. **A**ffirmatiuè responderi Richardus in 4. dist. 8. a. 6. q. fin. Gabriel. *ibid. dist. 15. q. 1. n. 2.* Abulensis in c. 6. *Marthai* q. 53. & 55. & ex Societate Iesv Comitoli in *Ref. Mor. lib. 3. quest. 7. & 8.* Syluester 2. *Ludus* q. 4. Et ratio est: Primò, quia ludus animo lucrandi exercitus est contra decimum Decalogi præceptum: Non concupisces rem proximi tui. Secundò, quia eo animo ludentes intendunt sibi iniucem damnum inferre, quod videtur contra charitatem proximi. Tertio, quia ludus eo animo exercitus videtur otiosus, quia non videtur utilis ad lucrum tunc intentum, quia non minùs est expositus perditioni, quàm lucro. Quarto, quia ludus etiam absque eo animo exercitus, videtur prodigalitas, quia in eo exponuntur bona periculo. Addunt Doctores huius sententia, esse peccatum mortale, quando ludens magnam quantitatem lucratur. Imò Abulensis addit, esse peccatum mortale, quamuis paruum quantitatem lucratur, quia est contra charitatem proximi.

2. Sed negatiuè sententia communiter adhærent Doctores, & ita docet Gaspar Hurtadus de *inst. disp. 8. diff. 2.* Rebellius p. 2. lib. 12. q. 2. Valentia 10. 5. *disp. 5. q. 6. punct. 1.* Molina de *inst. 10. 2. disp. 5. 10.* Eminentissimus Cardinalis de Lugo de *inst. 10. 2. disp. 31. sect. 1. n. 3.* & alij. Et ratio est, quia animus lucrandi etiam in materia notabili, nisi ex aliqua circumstantia deprauetur, non est ex se malus, sed indifferens. Vnde colludens, dum lucrum intendit, non concupiscit damnum siue malum alterius, vt malum eius est, sed lucrum proprium intendit tanquam sibi debitum iure iustitiæ, per iustum ludi contractum, si alea sibi feliciter succedat, vnde per

accidens inferitur damnum alteri. In decimo enim Decalogi præcepto prohibetur concupiscentia rei alienæ per media illicita, puta per furtum, rapinam, fraudem, aliòve modo iniusto, cuius exterior scriptum præcepto eisdem Decalogi fuerat prohibitus: non autem prohibetur concupiscentia medio, ac via iusta.

3. Sententia tamen affirmatiua recipi posset in casu, quo affectus lucri esset ita immoderatus, vt quis ex illo paratus esset facere notabilem iniuriam proximo, vel aliquod præceptum sub mortali obligans, violare, vt si amore lucri faciendi per ludum proponeret non audire sacrum in diebus festiuis, &c.

4. Sed an ludere principaliter propter lucrum sit saltem peccatum veniale affirmat Nauarr. in *Man. c. 19. vel 20. n. 3. & 8.* Panormit. in c. penult. de *vita & honestate cleric. n. 12.* Gabriel & Syluest. *vbi supra* quia finis ludi est recreatio licita. Sed est peccatum veniale conuertere in alium finem rem ad finem alium intentam. Ergo, &c. Aliqui addunt esse peccatum veniale, quia talis ludus est actus otiosus, vel quia continet auaritiam.

5. Sed has rationes impugnat Eminentiss. Cardinalis de Lugo *vbi supra*, & asserit quod quando debita circumstantia concurrunt, ludus principaliter propter lucrum non est cur damnetur peccati venialis, quia animus lucrandi non est ex se malus nisi aliunde deprauetur, lucrum enim est ex se indifferens.

RESOL. VII.

An sit peccatum mortale ludere ludis prohibitis? Et docetur laicum ludentem non peccare neque venialiter. Ex p. 7. tr. 9. Ref. 2.

§. 1. **S**uppono quòd iure Casateo prohibentur omnes ludi præter eos, quibus vires corporis exercentur, lege solent. ff. de *alea vsus, & alea*, lege tamen, quod in *coniugio* ff. eodem, conceditur vt esculenta, & poculenta possint omnes quibusvis ludis lucrari. Item *l. fin. C. de Relig. & sum. fin.* prohibetur ludus alearum, & tabularum, & datur actio repetendi, quod perditum fuerit his ludis. Et in Regno Castellæ aliquot etiam ludi senere prohibentur. Hoc supposito aliqui respondent affirmatiuè. Ita docet Syluester *verbo, ludus*, n. 4. Tolemus *lib. 5. c. 27.* Salomius in 2. 2. *traff. de Dominio rerum*, q. 5. *art. 6.* & alij.

2. At ego negatiuam sententiam tenendam esse puto, quam nouissimè tuetur Trullench in *Decalogo tom. 2. lib. 7. c. 27. dub. 1. num. 13.* vbi sic ait: Peritque etiam viris Doctis nostræ Societatis non semel in cõmunibus calum conscientia conferentis visum est. Leges etiam nostræ Regni Castellæ de hac re non obligare sub mortali, sed sub nulla culpa, aut tantum sub veniali. Ratio est, quia vel pœnæ, quibus prohibentur hi ludi, aut graues non sunt, aut, si quæ sunt grauiorcs rarò, aut nunquam executioni mandantur. Ludus enim tesseraum (qui fetè solus sub pœna graui prohibetur) magis interdictus est militibus, quàm caeteris, & tamen vix est alius ludus frequentior apud milites. Item specialis quidam chartarum ludus, qui vulgò dicitur (*el juego de la carrera*) recenter prohibitus fuit, lege *ultima*, tit. 7. lib. 8. *Nonæ collectionis*, sub eisdem pœnis, quibus prohibetur ludus tesseraum, & tamen audio esse frequentissimum hoc tempore ludum apud laicos, & vix ob illum vsum punitur aliquis; quod signum est huiusmodi leges solum esse comminatorias, aut merè pœnales, nulloque modo intendisse legum latorcs obligare sub mortali, aut certè non esse receptas sub tanta obligatione.

3. Et quidem quod ad ludum chartarum ætinet, non est credibile leges illum prohibentes obligare sub mortali, cum communiter leges illæ ab omnibus im-